



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die vigesima tertia Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Die vigesima tertia Iunij.

1^o. De sancto Vualhero martyre, Pastore Onhaniensi.

Ex lectionibus quas ab Onhaniensi ecclesia accepi.

ONhania, natalis S. WALTERI, presbyteri & martyris. Qui ortus fuit in *Bovinis*, antiquo super Mosam castro. Cumque sine succo vitiorum in humilitate & alijs virtutibus cresceret, seque totum ad seruitutem Dei dedicaret sacerdos, Onhania promotus est in Pastorem & Decanum. Quod de Pastorem Decano siue archipresbytero intelligitur. Singulos enim presbyteros, singulis parochijs statuebat, & inserebat. Cumque Hasteriensis ecclesie presbyterum visitaret, eiusque mores incestos argueret, dum simul Mosam traicerent, sacerdos felle commotus, remigem alam navis arripuit, & Decanum spatula remigis mactavit: Sic pro iustitia passus est 9. Cal. Iulij. Corpus exanime, Deo miracula operante, vectum est Onhaniam, ad Basilicam S. Martini, quam vivens rexerat. Vbi eius quoque meritis beneficia Dei mira & multa praestantur, & de offertorijs gratuitis populi, aedificium templi amplissimum exstat. Cum autem de imperio & Comitatu Namurcensi gravis esset sub Henrico septimo discordia, libitina siue feretrum patroni Vualciodorum deferebatur. Vnde Vualciodorensis ecclesia patroni reliquijs est honorificata, eiusdemque, ut creditur, meritis territorijs quibusdam beneficiata.

2^o. De sancto Hidulpho, duce.

Ex historijs sanctorum Waldetrudis, Gislens,
& Vismari.

LAubijs, sancti H I D V L P H I, ducis & confessoris. Erat hic vnus ex proceribus & maioribus regni Lotharingæ, sub Pipino seniore. Cuius interuentu beata Waldetrudis comparauit sibi Castrilocom, postquam à Gislens admonita erat, vt in eo monte cellulam, siue monasterium, construeret. Erat enim valde inclytus ac nobilis, & secundum temporalem huius sæculi dignitatem potentissimus, & per coniugem suam dictæ Christi famulæ propinquus. Hidulphus autem, cum locum à legitimis possessoribus emisset, mox excelsam construxit domum. Qua conspecta, Waldetrudis Christi famula exhorruit, quæ in cellula, toto mundo à se excluso, vni Deo vacare anhelabat. Itaque pius Dominus, eius humilitatem probans, proxima nocte domum illam euertit. Contristatus est inde Hidulphus, sed à sancto sacerdote Gislens, causam ruinæ edoctus, cito humiliorum domum ædificari curauit in latere montis, simulque oratorium in honorem Petri & Pauli Apostolorum, vbi Waldetrudis cum eiusdem instituti religiosis fœminis, castè & humiliter vixit. Huius etiam principis interuentu, beatissimus Vismarus Lobium monasterium, à Landelino fundatum, regendum suscepit. Ex quo loco cum alijs translatus est Binchium. Et festum vtroque celebratur nono Calendas Iulij. Meminerunt annales Hannoniæ etiam Ayæ vxoris, quæ montibus Hannoniæ in cellula Waldetrudis, quæ nunc est

Canonicarum nobilium collegium, est sepulta, sed non eleuata. Inuocatur tamen in litanijis dictæ ecclesiæ.

Sigeb. an.
no 618.

Error est autem apud Trithemium. in catalogo Sanctorum ordinis diui Benedicti, in quo Hidalphus asseritur ex Duce monachus, abbas & episcopus Lobiensis. Similiter errorem esse arbitror in Gallicis Hannoniæ annalibus, in quibus nominari eum audio Ducem Louaniensem: cum Louanium, eius viri claram memoriam conseruaret, si eum principem habuisset. Quare ex Ratherio & Sigeberto colligere non dubito, Ducem quidem fuisse & principem in Lotharingia, sed Lobiensem, non Louaniensem.

3^o. Memoria beata Mariæ Oingniacensis.

Ex informatione Ioannis Frambach Traiectini,
& reliquorum Regularium Oingniacensium.

Oingniaci, transitus dominæ Mariæ, ibidem reclusa. Hæc vulgo de *Oingnies* dicta, primò in *Wilen broeck*, apud Nuellam, se Domino immolauit: deinde propter concursum hominum commigrauit in *Oingnies*, ad sanctum Nicolaum: ubi debitum naturæ persoluit anno millesimo ducentesimo decimo tertio, in vigilia natiuitatis Baptistæ. Vitam eius multa sanctitate & miraculis gloriosam, duobus libris conscripsit Iacobus Vitriacus, Cardinalis Tusculanus, quos Laurentius Surius edidit. Quibus tertium adiecit Thomas Cantipratensis Brabantinus. Exstat etiam in Oingniacensi monasterio officium ancillæ Christi Mariæ de *Oingnies*, cuius initium est ad primas Vesperas, *soleni tripudio*; cæterum officij huius non est vltus publicus, quia non est canonizata: eademque de causa eam non sanctam vocant, sed dominam Marianam, *dame Maroye*. In summo tamen habetur honore. Siquidem in Martyrologio legitur

legitur, octavo Idus Maij. Eodem die, primus aduentus dominae Mariae ad nos. Præterea Iacobus de Vitriaco reliquias decenter reposuit in lapideum sarcophagum, quæ postea anno millesimo trecentesimo trigesimo primo, decentius repositæ sunt ad latus ecclesiæ. Inuocatur religiosè à laborantibus in partu, quæ per indusium eius laneum sæpe liberantur; item à febricitantibus, quibus ex sacri corporis reliquijs articulus argento inclusus osculandus porrigitur. Imago eius depicta est in altari, ac alijs in locis. Tumba in die aduentus & obitus ornatur, ijsque diebus frequentior est ad eius memoriam concursus. Sed & Parochi nonnulli sacrificium Missæ de illa legerunt, ^b absque tamen cantu, nè non canonizaram publicè viderentur celebrare. Habentur in eadem ecclesia tres notabiles sepulturæ trium clericorum, qui eo loci regulam sancti Augustini sunt professi. Prima est Iacobi de Vitriaco, qui Anconensis episcopus & Tusculanensis Cardinalis Romæ obiit, sed ad domum suæ professionis ad memoriam beatæ Mariæ deferri voluit. Hic domum ipsam multis ornamentis, reliquijs, & Apostolicæ Sedis privilegijs ditauit. Altera est Ioannis de Niuella, doctoris sacræ Theologiæ, qui plurimis virtutibus & miraculis effulsi. Hunc relicto decanatu Leodiensis ecclesiæ, ad regulare monasterium Oingniense migrasse scribit Thomas Cantipratenfis in libro secundo apum. Tertia sepultura est fratris ^{Capite 31.} Ægidij de Vualecuria, primi Prioris & fundatoris dictæ ecclesiæ. Est autem Oingniacum ad Sambriam, in ea Brabantie portione quæ Aisa dicitur, sub episcopo Namurcensi, antea sub Leodiensi.

Q

a De

a De qua egregium etiam refert exemplum lib. I. Apum. c. 9. par. 8.

b Postquam hæc scripsit D. Molanus impetratum fuit à sede Apostolica, ut corpus eius in theca argentea altari superponeretur quod factum est anno Domini 1609. Vnde nunc singulis hebdomadis sacrum cum cantu in eius honorem celebratur.

4^o De B. Lietberto, Cameracensi episc.

Ex historia in monasterio Domini sepulchri manu scripta, capitibus 66. & literis Jacobi Valesij, Prioris ibidè.

CAmeraci, obiit Dominus Lietbertus Cameracensis & Atrebatensis episcopus, à beato Vedasto trigesimus primus, Dominicæ incarnationis anno millesimo septuagesimo sexto. Et quarto Calendas octobris translatus est ab Albrico Remorum archiepiscopo, anno ducentesimo undecimo. In Brachatensi prouincia nobili familia exortus, nomen accepit Lietberti, quod ei valde congruum fuit, quia semper publicam Reipublicæ libertatem promouit. Quo ad literas & mores, profecit in aula Gerardi Cameracensis præfulis, & in tantum profecit, quod iussu episcopi assumatus sit in doctorem puerorum, deinde scholis abstractus, exaltatus est in pontificalis domus procuratorem, ut in ea esset cõsul populorum, iudex multiplicium causarum. Cumque inde à militari dignitate expeteretur, clerus præualuit, & ab episcopo archidiaconatum accepit, cum ministerio præposituræ. Quibus honoribus ita utebatur ut maioribus dignior iudicaretur. Vnde mortuo Gerardo, Cameracensis ecclesia eum episcopum elegit. Ipse autem sese formam iustitiæ & veritatis omnibus præbuit. Inimicitias vitabat cautissimè, ferebat æquissimè, finiebat citissimè. Amorem pecuniarum

cuniae totius suae spei certissimum venenum esse credebat. Diligenter seruabat vulgare proverbium Nemini facias quod pati non vis. Amicis utebatur ad rependendam gratiam: inimicis ad patientiam, omnibus ad benevolentiam. Cumque vix impetrata dimissione Ierosolyman tenderet, comites habuit ferè ad tria millia, tanta coeunte copia populi, vt exercitus Domini diceretur Ductus tamen per varia loca, & reductus, spe videndi sepulcrum Domini frustratus est, fraude nauarum declinantium insidias paganorum. Ceterum reuersus, ex consuetudine nudis pedibus noctu ecclesias, & cœmeteria circuibat, pro se, suis, & defunctis Dominum exorans. Inter quae loca erat oratoriolum Dominici sepulcri. Cum enim fames Cameraci multos enecaret, vt vrbis cœmeteria non sufficerent, Gerardus Lietberti antecessor extra muros cœmeterium & ecclesiam in honorem Dominici sepulcri pro sepultura pauperum & peregrinorum consecrauit. Vbi Lietbertus, magistri animatus exemplo, ampliori schemate monasterium construxit, quod ampliatis mœnibus intra urbem est inclusum. Vbi etiam ante quinquennium quam vita discederet, effodi sibi sepulcrum fecit. Testari sunt autem qui morienti adfuerunt, albedinem capillorum ipsius in pristinum iuuentutis rediisse colorem. Quamvis autem in monasterio à se instructo vt sanctus patronus honoretur, & apud plebem sancti titulum ob vitæ merita obtinuerit, in die tamen obitus, & translationis, vigiliis habet solennes mortuorum. Quales sunt Calendis Nouembris. Et tunc mausoleum eius ornatur ramis & herbis. Singulis autem diebus à diacono maioris Missæ ad sepulcrum thurificatur.

murof

Die